

hem, exarsitq; & ignem habuit, non postea concepit, fulmen est. Distat à prestere, quo flamma ab igne. Hic late funditur statu, illud conglobatur impetu. Vortex autem remeando distat a turbine, & quo stridor à fragore. Procella latitudine ab utroq; disiecta nube verius quam rupta. Fit & caligo beluae similis, nube dira nauigantibus. Vocatur & columna, cum spissatus humor rigensq; ipse se sustinet. Ex eodem genere, & in longam veluti fistulam nubes aquam trahit.

Quibus in terris fulmina non cadant. CAP. L.

**H**eme & aestate rara fulmina, cōtrarijs de causis, quoniam hyeme densatus aer nubium crassiore corio spissatur: omnisq; terrarū exhalatio rigēs ac gelida, quicquid accipit ignei vaporis, extinguit. Quae ratio immunē Scythiā et circa rigētia à fulminū casu praestat, et è diuerso nimius ardor Aegyptū. Siquidē calidi sicciq; halitus terrae, raras admodū tenuesq; et infirmas desantur in nubes. Vere autē et autumnō crebriora fulmina, corruptis in utroq; tēpore aestatis hyemisq; causis. Quia ratioē crebra ī Italia, quia mobilior aer mitiore hyeme et aestate nimbo-sa, semper quodammodo vernat vel autumnat. Italiae quoque partibus ijs, quae à septentrione discedunt ad teporem, qualis est Urbis & Campaniae tractus, iuxta hyeme & aestate fulgurat, quod non in alio situ.

Fulgurum genera & miracula. CAP. LI.

**F**ulminum ipsorum plura genera traditur. Quae sicca veniunt, non adurunt, sed dissipant. Quae humida, non vrunt, sed infuscant. Tertium est quod clarum vocant, mirifica maxime naturae, quod dolia exhauriuntur intactis operimentis. nulloq; alio vestigio relicto. Aurum & aes & argentum liquatur intus, sacculis ipsis nullo modo ambustis, ac ne confuso quidem signo cere. Marcia princeps Romanarum ieta grauida, partu exanimato, ipsa citra vllum aliud incommodum vixit. In Catilinianis prodigijs, Pompeiano ex municipio M. Herennius decurio sereno die fulmine ictus est.

De obseruationibus. CAP. LII.

**T**huscorum litera nouem deos emittere fulmina existimant, eaq; esse vndecim generum. Iouem enim trina iaculari. Romani duo tantum ex ijs seruari: diurna attribuentes Ioui, nocturna Summano, rariora sane eadem de causa frigidioris caeli. Hetruria erumpere terra quoq; arbitratur, quae infera appellat, brumali tempore facta, seuā maxime & execrabilia, cum sint omnia quae terrena existimant, non illa generalia, nec a sideribus venientia, sed ex proxima atq; turbidiorē natura. Argumentum euidentis est, q̄ omnia à superiore caelo decidentia obliquos habeāt ictus: haec autem quae vocantur terrena, rectos. Sed quia ex propiore materia cadunt, ideo creduntur è terra exire, quoniam ex repulsi nulla vestigia edāt, cum sit illa ratio non inferni ictus, sed aduersi. à Saturni ea sidere proficisci subtiliter ista consecrati putant, sicut cremantia à Martis. Qualiter cum Volsini oppi-

dum Thuscorum opulentissimum totū concrematum est fulmine. Vocant & familiaria in totam vitam fatidica, quae prima sunt familiam suam cuiq; indepto. Ceterum existimant non ultra decem annos portendere priuata, praeterquam aut matrimonio, primo facta, aut natali die. Publica non ultra tricesimum annum, praeterquam in deductione oppidorum.

De fulminibus euocandis. CAP. LIII.

**E**xat annalium memoria, sacris quibusdam & precationibus vel cogi fulmina vel impetrari. Vetus fama Hetruriae est, impetratū Volsinios vrbe agris depopulatis subeunte monstro, quod vocauerunt Voltam: euocatum et à Porfena suo rege. Et ante eum a Numa sepius hoc factitatū, in primo annaliū suorum tradit L. Piso grauis autor: quod imitatum parū rite Tullum Hostilium, ictum fulmine. Lucosq; & aras, & sacra habemus, interq; Statores, & Tonantes, & Feretrios, Eliciu quoq; accepimus Iouem. Varia in hoc vita sententia, & pro cuiusq; animo.

20 \*Imperari naturae, audacis est credere: nec minus hebetis beneficijs abrogare vires: quando in fulgurum quoq; interpretatione eo profecit scientia, vt ventura alia finito die praecinatur: & an peremptura sint factū, aut apertura potius alia fata quae lateant, innumere-rabilibus in utroq; publicis priuatisq; experimentis. Quamobrem sint ista (vt rerum naturae libuit) alijs certa, alijs dubia, alijs probata, alijs damnanda. Nos caetera quae sunt in his memorabilia, non omitemus.

\* Imperare naturae facta audac.

Catholica fulgurum. CAP. LIIII.

30 **F**ulgetrum prius cerni, q̄ tonitrum audiri (cū simul fiant) certū est. Nec mirū, quoniam lux sonitu velocior. Ictum autē et sonitum congruere, ita modulante natura. Sed sonitum profecti esse fulminis, nō illati: etiamnum spiritū ocycorem fulmine: ideo quati prius omne & afflari quā percuti: nec quenquam tangi qui prior viderit fulmen, aut tonitrua audierit. Leua prospera existimatur, quoniam leua parte mundi ortus est. Nec tam aduētus spectatur, quā reditus, siue ab ictu resiliat ignis, siue opere confecto, aut igne cōsumpto spiritus remeet. In sedecim partes caelum in eo \* respectu diuisere Thusci. Prima est a septentrionibus ad aequinoctialem exortum: secunda ad meridiem, tertia ad aequinoctialem occasum, quarta obtinet quod reliquum est ab occasu ad septentriones. Has iterum in quaternas diuisere partes, ex quibus octo ab exortu sinistras, totidē è cōtrario appellauere dextras. Ex his maxime dirae quae septentrionem ab occasu attingunt. Itaq; per plurimū refert, vnde veniunt fulmina, & quo cōcesserint. Optimum est, in exortibus redire partes. Ideo cum a prima caeli parte veniunt, & in eandem concesserint, summa felicitas portenditur, quale Sylla dictatori ostentum datum accepimus. Caetera ipsius mundi portione minus prospera aut dira. Quaedam fulgura enunciare non putant fas, nec audire praeterquam si hospiti indicetur aut parenti. Magna huius obseruationis vanitas, tacta Iunonis & de

\* specta

olups  
caest  
noib  
ur  
nol  
am  
smp  
v  
him  
v  
amit